



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Scientia Salvts, Sive Considerationes Piæ, Præcipuam  
Spiritualis Vitæ Materiam complectens**

**Laberhittel, Samuel**

**Ingolstadii, 1660**

172. fer. 5. De duodecim fructibus Spiritûs sancti.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-59837](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-59837)

302 *Feria 4. Domin. Pentecost.*

se, nôsse Deum, humilitatem, & sollicitè ambulare cum DEO.

*Conf. 4.* Reliquas nequitas spiritus mali, qui facit cæcum, dum indit hanc cogitationem: Deus redemit me Passione suâ, non me perdet, nec peccatum tam districtè iudicat: facit mutum, compeditum, manibus, pedibus, corde, dum vel impellit ad vicia, vel ad excessum in virtutibus, excusationem fragilitatis, tædium boni, oblivionem futurorum, &c. Huic spiritus sanctus opponitur septenâ sapientiâ, quia suadet coelestia, & futura non esse commutanda pro divitijs onerosis, honoribus mundi aëreis, delectabilitatibus carnis quasi somnijs, læticijs reliquis, quæ post se amaritudinem relinquunt, tutiora sequenda exemplo Sancti Sanctorum: quia via ad felicitatem est amor Dei, via ad ruinam neglectus Dei. Audiam Chrysostr. hom. in cap. 5. ad Galat. *Quoniam igitur tantâ vis est spiritus, illi vivamus, illo contenti sumus:* Da tuis Fidelibus factum septenarium! quia: *cui adest Spiritus gratia, nihil deest,* inquit D. Ambros. in cap. 1. Luc.

MEDITATIO CLXXII.

*Feria 5. Domin. Pentecost.*

*De duodecim fructibus Spiritus sancti.*

Aspicia B



**A**spiciam duodecim proprietates in columba, quod sit candida, mansueta, innocens, simplex, zelosa, fecunda, hominum amans, gratiosa, amica munditiei, boni odoris, volatu eximia, nuntia finiti diluvij. Petam fructus Spiritus sancti agnoscere, eorumque fieri particeps.

*Conf. 2.* Quomodo Spiritus malus animam veneno peccati semper intentus sit perdere, & gratiam per se æternam corpore intacto, sicut fulmen ferrum vaginã relictã absumere: quod venenum Apostolus vocat opera carnis, quibus fusè narratis ad Galat. c. 5. opponit opera Spiritus: Libidini Charitatem; perturbationibus, quæ libidinem consequuntur, gaudium; idolorum servituti, quæ bella movet contra DEVM, & Sanctos, unde veneficia, inimicitia, contentiones, emulationes, animositates, opponit pacem: ut autem iusta moderatione tractentur omnia, opus est ad sustinendum patientiã, & longanimitate: ad curandum benignitate: ad ignoscendum bonitate, & mansuetudine: denique hæresibus opponit Fidem, omnique intemperantiæ Modestiam, Continentiam, Castitatem. Ita Augustinus in Epist. ad Galat.

*Conf. 2.* Verba D. Hieron. ibidem. *Non potest arbor mala, fructus afferre bonos, non*



304 *Feria 6. Domin. Pentecost.*

*dam de hominibus, quam de fructibus carnis,  
& spiritus arbitror pronuntiatum: quia nec  
spiritus potest unquam ea vitia, qua in carnis  
operibus numerata sunt, facere; nec caro his fru-  
ctibus, qui oriuntur ex spiritu, redundare: po-  
test tamen fieri per negligentiam possidentis, ut  
spiritus, qui versatur in homine, fructus non  
habeat suos.*

*Conf. 3. Meam negligentiam detestabi-  
lem: si enim arbor fui non fructifera, male-  
dicto proximus sum. invocabo spiritum  
sanctum, quia, cui spiritus sanctus infunditur,  
magnarum est plenitudo virtutum S. Ambros.  
in cap. x. Luc.*

MEDITATIO CLXXIII.

*Feria 6. Domin. Pentecost.*

*De Spirituum discretionem,*

**A**spiciam felleam malignitatem spiritus  
diabolici, qui si non potest peccatis gra-  
vibus, conatur venialibus inficere: quod si  
nec istis, saltem molestis cogitationibus per-  
turbat; adeo neminem, nec quidem Filium  
Dei intentatum relinquit. Petam intelligere  
originem spiritus boni, & mali, ut hunc evi-  
tem, illum sequar.

*Conf. 1. Discretionem spirituum esse do-  
num Dei, quod ex parte nostra per modum  
artis conjecturalis acquiritur, ideoque fal-  
lere*